

plementum copias Matthias adduxerat , Italique supervenerant . Cæsareani in urbem irrumpere conati ac repulsi , tabulatis , cratibus , aliisque ad arcendos ignes tecti , suffossa ligonibus humo , proprius succedunt ; hostili munitione , ex qua prospectus in arcis aream erat , occupata , magno impetu cuncta prosternunt . Inde hostes , ardore restincto , de concordia agunt . Cæsareani ditione kal. septembbris Strigonium recipiunt ; propugnatores ex pacto cum acinace ac sarcinis , quantas singuli ferre possent , secundo amne Budam abire permissi . Diversa ex parte Græciae Beglerbegum cum vigintiquinque millium bellatorum copiis Sigismundus Battoreus fregerat . Valachia Regulus , magno incolarum ac Dacorum numero coacto , Danubio trajecto , obviis Turcis profligatis , usque Nicopolim delatus , eam urbem diripuit flammisque absumpsit . Dacus Lippam occupat ; Sinanem octoginta millium copiis Danubium ponte transgressum adortus , multis cæsis , se recipere coegit . His prospere Cæsari affluentibus , superioris anni compensari clades ; ac jam vetus ea sententia obsolescere coepit , qua plerisque persuasum erat , terrestribus præliis invicta Turcarum arma esse , cum profligati exercitus , captæ urbes , vastati agri , ac prope in viscera Ottomanici imperii invecta Christianorum arma cernerentur .

Ea in causa erant , ut cum omnes conatus in Pannonicō bello Mehemetes novus Imperator intenderet , navalium rerum cura prætermissa , maritimæ Turcarum vires languerent ; neque prævalidas , uti antea assueverant , classes emitterent . In id vero Hiderus , Ramadani Bassæ nepos , Mehemis , Leptitanus olim præfectus , atque Assanes , maritimarum rerum periiores , consenserant , ut , triginta triremibus eductis ; decem ad Rhodi Alexandriæque maria tutanda adhiberentur ; totidem Cilicum custodirent ; reliquæ Methonem allegarentur . Consilio de mittendis in Peloponnesum triremibus , cum acriter Venerius legatus obstitisset , quod inde cum nostris diffidia exoritura , rem alias tentatam , atque prætermissam dicere , a sententia discessere . Byzantio vero quadraginta tantum triremibus stipatus Assanes Cicala egressus , in Peloponnesum Pylum usque , nulla præclara re gesta , nullo illato Christianis

*Strigonium  
a Cæsarea-  
nis deditio-  
ne captum.  
Turca u  
Battoreo &  
Valachia  
Regulo pro-  
figati.*